



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio V. Vtrùm mensura vel divisibilitas sint essentia Quantitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

Quæst. V. Vtrum mensura, vel divisib. &c. 585

giditas, quæ in alio est non se possunt expellere. Vnde si frigiditas esset per se sine subiecto, & calor esset per se, se haberent ac si in diversis subiectis reperirentur, vnde vna non expelleret aliam, quia omnis expulsio est, quia non possunt simul in eodem subiecto reperiri, sicut duæ quantitates, quæ in diversis locis sunt, non se expellunt donec in eodem loco reperiantur: ergo si experientia patet non posse hostiam consecratam simul esse summe frigidam, ac summe calidam, sed summum frigus expellere calorem intensum, signum evidens est versari circa idem subiectum, quod non est aliud nisi quantitas substantiæ, cum ipsa substantia destruat per consecrationem, & qualitates albedinis, saporis, &c. non sint subiecta per se caloris, & frigiditatis.

36 Deinde experimur etiam, vt optime notavit Albertinus, quod quando introducit vnus gradus caloris, expellitur alius frigoris, expellunt autem se non propter oppositionem; experientia enim patet stare simul quando non exceditur latitudo vt octo, signum est igitur quod se expellunt, quia subiectum est limitatum, & non potest esse capax vtriusque qualitatis contrariæ, non enim potest dici, vt clare patet, quod respectu eiusdem loci illa contraria habeant repugnantiam inter se.

37 Dices Deum corrumpere aliam qualitatem contrariam ad præsentiam alterius.

38 Contra, quia gratis configitur ad liberam Dei voluntatem operantem contra naturas rerum, illa enim accidentia possunt realiter esse simul cum non habeant vim naturalem se expellendi.

39 Tandem, quia substantia non est per se sensibilis, sed per accidens, quantitas autem est per se sensibilis, idque multis sensibus, quam ob causam dicitur sensibile commune, albedo autem non est sensibile commune sed proprium, id est, quæ vno sensu cognoscitur, sed hoc non esset verum si entitas quantitatis esset idem cum substantia, & qualitatibus: ergo quantitas non identificatur cum illis.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta Adversaria dissolvuntur.

40 Ad primum argumentum patet, quæ sit ratio necessitatis multiplicandi quantitatem, & ponendi distinctam à substantia.

41 Ad secundum Respondeo substantiam esse susceptivam contrariorum, vt primum subiectum, quantitatem vero vt proximum.

42 Ad tertium admissio, quod separaret Deus substantiam à quantitate, negamus tunc fore substantiam vel materiam quantam. Ad probationem autem concedo habituram tunc illam substantiam partium distinctionem compositionem, & vnionem; concedo item, partes illius substantiæ cum distinctis, vbi conservari à Deo, vt ratio ibi facta probat, hæc tamen omnia non sufficiunt, vt substantia sit quanta, quia quantum est quod habet partes impenetrabiles, quas non haberet in illo casu substantiæ, ac proinde non esset quanta.

43 Ad quartum Respondeo cum Patre Suarez negando assumptum, impossibile est enim, vt in substantia materiali conservetur omnis forma accidentalis realiter distincta, quin maneat quantitas. R. P. N. de Peñafiel. Theol. Schol. Tom. I.

ta, vt argumentum recte probat; quamvis autem Deus penetraret duo corpora in eodem loco non reddidit illa non quanta, nec ex duobus quantis facit vnum quantum, sed servata distinctione quantitatum constituit in eodem spatio sic ergo licet Deus corpus bipedale constitueret in spatio pedali non per condensationem, sed per partium penetrationem non redderet illud minus quantum, neque duas in vnum redigeret: sed in eodem spatio eas collocaret, quod longe diversum est, eademque responsio est de quacunque reductione corporis quanti, quantumvis magni ad brevissimum spatium, in quo sit aliqua extensio per partium penetrationem, de reductione autem totius quanti ad indivisibile spatium controversia est, an sit possibilis. Mihi tamen pars affirmans indubitata est supposito Mysterio Eucharistiæ, nego tamen substantiam sic constitutam in spatio indivisibili non fore quantam, nam corpus Christi quantum est etiam in Sacramento, licet sit etiam in puncto indivisibili, & ratio est, quia quantitas non est actualis extensio in spatio, sed aptitudinalis, & hanc retinere potest corpus, etiam si actu non sit in spatio extenso, vt optime probat Suarez in metaphysica.



QVÆSTIO V.

Vtrum mensura, vel divisibilitas sint essentia Quantitatis.

SECTIO I.

Sententia Adversariorum ponuntur.

PRIMA sententia asserit aptitudinalem mensuram esse essentiam quantitatis, ita Albertus Magnus, Caietanus, & alij, probatur hæc sententia.

Primo ex Aristotele 5. metaphysica, cap. 3. vbi a numerum, & continuum ait esse quantitatem si possent esse mensura; item hic in prædicamento quantitatis propter rationem mensuræ distinguit varias species quantitatis: ergo ratio mensuræ est de essentia illius ex Aristotele.

Secundo, quantitas ex sua natura est apta ad mensurandum, sed id quod convenit ex vi propriæ entitatis est essentia rei: ergo aptitudo ad mensurandum est de essentia quantitatis.

Tertio illa est essentialis ratio quantitatis, quæ communis est omnibus speciebus eius, & sub qua possunt adæquate distingui, & non sub alia, sed huiusmodi est sola ratio mensuræ: ergo in ea consistit essentia quantitatis.

Secunda sententia est aliquorum Thomistarum asserentium quantitatis essentiam consistere in divisibilitate, ita lavelius, 7. 20. Zonzinas, & alij apud Patrem Suarez, Scorus, & probatur primo.

Auctoritate Philosophi diffiniunt quantitatem per divisibilitatem; dicendo quantum est divisibile in ea quæ insunt, &c.

Secundo, quia id quod primo concipimus in quantitate est divisibilitas, & ratione eius cate-

Eccc ra

ra conveniunt quantitati; atqui illa est essentia, quæ primo convenit rei; & est radix cæterarum proprietatum: ergo divisibilitas, quæ est huiusmodi est essentia illius.

- 8 Tertio id per quod differt primo vna species ab alia, est essentia illius; sed quantitas differt à discretis per divisibilitatem, nam continua differt à discretis, quia continua est divisibilis in partes, quæ copulantur termino communi, discreti enim, quia dividitur in partes, quæ nullo termino communi vniuntur: ergo divisibilitas est essentialis quantitati.

SECTIO II.

Nostre sententia probatur.

- 9 Prima conclusio: quantitatis essentia non consistit in ratione mensuræ aptitudinalis activæ. Probatur primo.

10 Potentia ad mensurandum aliud est potentia cuius actus est denominatio extrinseca: sed nulla potentia, cuius actus est denominatio extrinseca est de essentia rei: ergo huiusmodi ratio mensuræ, quæ in hac aptitudine consistit, non est essentia quantitatis. Maior sic probatur, quia mensuratio, quæ est actus illius aptitudinis consistit in collatione vnius quantitatis cum alia; hæc autem collatio nihil aliud est quam applicatio vnius quantitatis ad aliam, ut per eam cognosci, aut notificari possit eius extensio, seu magnitudo, ut asserit Arist. 10. met. cap. 2. mensura est, quo quantum cognoscimus, & subiungit statim, cognoscitur autem quantum, ut quantum, aut vno, aut numero, id est, aut vna mensura applicata aut repetitione, & numeratione; unde mensurare proculdubio est vti vna quantitate ad cognoscendum alterius extensionem. Per hanc autem applicationem nihil accipit quantitas intrinsecum: ergo est denominatio extrinseca. Minor sic probatur, quia omne exercitium essentia est intrinseca ratio perficiens illud, cuius est essentia: sed extrinseca denominatio non est exercitium intrinsecum perficiens rem, respectu cuius est denominatio extrinseca: ergo potentia ordinata ad illam, cum non habeat intrinsecum exercitium perficiens, non est de essentia alicuius. Maior sic probatur, ideo veritas vel visibilitas non sunt de essentia rerum, quia exercitium illarum est denominatio extrinseca, & ideo rationalitas est essentia hominis, quia exercitium ipsius; quæ ratio rationis est intrinseca ratio perficiens hominem, & ratio à priori est, quia actus secundus essentialis est illi actui primo: sed actus primus essentialis est intrinseca perfectio illius, cuius est essentia: ergo actus secundus, qui est exercitium illius debet esse intrinseca perfectio.

- 11 Confirmatur primo, quia omnis denominatio extrinseca est secundaria, & accidentalis ratio respectu denominati, & præcipue ratio mensuræ, quæ consistit in hoc ut ab homine sumatur, ut medium extrinsecum ad indicandas alias quantitates: sed nulla essentia debet esse in ordine ad secundariam, & accidentariam omnino rationem: ergo ratio mensuræ, quæ est in ordine ad istam secundariam rationem non est essentia quantitatis. Minor sic probatur, ideo essentia hominis sumitur in ordine ad ratiocinandum, &

non in ordine ad volendum, quia ratiocinatio est ratio prima, & volitio secundaria ratio in homine: ergo nulla essentia, &c.

Secundo probatur, quia actus secundus mensuræ activæ dependet à libero hominis arbitrio; ergo potentia ad talem actum non potest esse essentia quantitatis. Hæc consequentia sic patet, quia exercitium essentia alicuius est naturale, & ex sua natura determinatum, & non ad libitum hominis, ut ratiocinatio in homine, perfecta intellectio in Angelo, calefacere in calore, dealbare in albedine, & ratio evidens est, quia modo est actus secundus, quo est actus primus, cum actus secundus sit exercitium actus primi: sed actus secundus mensuræ activæ est ad libitum hominum: ergo mensura aptitudinalis activa non est essentia quantitatis. Antecedens primum sic probatur, quia mensura ut mensura semper est per humanam accommodationem, quia nulla est maior ratio quare hæc mensuret illam, quam è converso si res ipsa secundum se spectetur, neque etiam longitudo tantæ quantitatis est magis natura sua mensura, quam alia minoris, aut maioris, ut videre est in mensura solita quæ Hispanice *Bara de medir* dicitur, quæ tantæ, & non minoris, aut maioris magnitudinis debet esse, quod totum sine dubio ad libitum hominum est, ad quod significandum signo aliquo publico insignitur dicta mensura, quo denominatur aperte non posse actu mensurari, nisi quantitas ad libitum determinetur in esse mensuræ semper: ergo in ijs intervenit humana impositio.

Deinde, quia etiam alia, quæ non sunt quantitates possunt esse mensuræ aliorum: ergo ratio mensuræ non est essentia quantitatis, essentia enim vnius non potest alteri communicari. Antecedens sic patet, nam albedo est mensura colorum, & scibile est mensura scientiæ, & Deus est mensura omnium entium creatorum, & hoc modo etiam per speciem perfectissimam generis mensuramus alias secundum accessum, vel recessum ad illam secundum illud axioma; primum in vnoquoque genere est mensura cæterorum. Tandem perfectionem imaginis mensuramus per exemplar: sed hæc omnia non sunt quantitates: ergo alia, quæ non sunt quantitas possunt esse mensuræ aliorum.

Tertio probatur, quia quantitas se sola non potest esse mensura, quia mensura est determinata magnitudo, & extensio in ordine ad locum, ut palmus; hæc autem extensio includit formaliter, & quantitatem, & vbiocationem circumscriptivam: ergo ratio mensuræ addit accidens physice distinctum à quantitate; ergo non est essentia, cum essentia non distinguatur ab illa re cuius est essentia. Antecedens sic probatur, quia si quantitas divinitus ad punctum reducatur, non erit apta ad mensurandum, cum per illam sic reductam non poterit cognosci alterius magnitudo; item, quia eadem quantitas, modo potest esse longior, modo curtiore pro densitate, aut raritate: ergo sola illa non poterit esse mensura, cum non habeat certam extensionem localem formaliter.

Quarto probatur, quia illud non est essentia, quod supponit aliud primum in constituto: sed potentia ad mensurandum supponit extensionem partium, quia ideo quantitas est apta ad mensurandum, quia habet extensionem partium, &

Quæst. V. Vtrum mensura, vel divisib. &c. 587

est æquabilis cum altera, & ideo indivisibile non est capax mensurandi, nec quantitas Christi in Eucharistia illud, quia nullas partes habet hæc, quia non habet extensionem illarum: ergo ratio mensuræ præsupponit extensionem.

16 Vltimo probatur, cum Patre Suarez, quod aptitudinalis mensura non sit de essentia quantitatis, quod sic ostendit, quia vel hoc intelligitur de mensura ipsius substantiæ, quam afficit quantitas, quæ dici potest mensura intrinseca, vel de mensura alterius quantitatis, quæ est extrinseca. Primum dici non potest, quia quantitas non est mensura proprii subiecti, nam mensura debet esse res extrinseca, ut bene notatur Scotus, & Durandus, & patet, quia si quantitas est mensura substantiæ, cui inhaeret, vel notificat perfectionem eius, & hoc non, ut per se constat; vel notificat molem, seu magnitudinem eius, & hoc non, quia hoc non tam esset notificare substantiam quam se ipsam, quia substantia non habet aliam molem nisi quantitatem ipsam, non potest autem dici mensura sui ipsius, quia mensura est id, per quod cognoscimus rei quantitatem, ut patet ex eius definitione ab adversariis admittis: sed non cognoscimus rei quantitatem per ipsam, met quantitatem eius: sed per applicationem alterius, ut constat: ergo. Vnde licet quantitas possit notificare se per modum obiecti per se cognoscibilis, non tamen proprie per modum mensuræ, neque illa ratio notificandi se est alia quam ratio intelligibilis, quæ transcendentalis est, & sic alijs à quantitate convenit.

17 Confirmatur, quia mensura debet esse homogenea mensurato, ut patet ex Arist. 10. metaph. cap. 3, sed quantitas non est homogenea substantiæ, cui inest: ergo non est mensura illius, sed potius reddit illam mensurabilem alia quantitate atque eadem, quod si hæc ratio mensuræ passive sumatur, scilicet ut dicatur quantitas aptitudine mensurare subiectum in quo est, quia reddit illud mensurabile, etiam hoc modo non potest esse ratio quantitatis, tum quia ideo quantitas reddit mensurabilem rem quantam, quia reddit illam extensionem, tum etiam, quia quantitas in tantum potest mensurari, in quantum potest esse qualis mensuræ, vel semel, vel sæpius applicatæ: ergo prius secundum rationem quantitas est æqualis, quam sit mensura: sed illud non est essentia quantitatis, sed proprietas eius: ergo multo minus ratio mensuræ, tum denique, quia illa mensurabilitas solum est aptitudo quædam rei magnitudo cognosci possit per extrinsecum medium, nullius autem rei essentia consistit in tali aptitudine: ergo rationes fieri possunt si aliud membrum eligatur, nimirum quod una quantitas sit apta ad mensurandum aliam, tum quia etiam hæc ratio est posterior, ideo enim una quantitas potest assumi ut mensura ad aliam notificandam, quia est extensa, & consequenter æquabilis alteri, tum etiam, quia posse esse medium ad cognoscendam aliquam veritatem, nunquam potest esse essentia alicuius rei, sed fundatur in causa, vel effectu, quæ proveniunt ex ipso esse rei, vel illud supponunt: ergo multo minus potest esse essentia quantitatis posse esse medium extrinsecum cognitionis per modum mensuræ, & eadem ratione nullius rei essentia potest consistere in ratione mensuræ sibi proportionata, ut quod lux sit mensura cæterarum qualitatium non potest esse essentia lucis, sed

R. P. Ideph. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. I.

supponit perfectionem essentialem eius in qua fundatur quod possit assumi ab intellectu, & mensura.

Dices cum Sanchez in Logica, lib. 5. præd. q. 15. 18 ex his patet quam falso dixerit Suarez quantitatem non mensurare proprium subiectum, scilicet substantiam, quam afficit, nam quod hæc substantia sit tanta, habet à quantitate; sic ergo quod cognoscatur esse tanta habet ex sua quantitate: ergo quantitas proprii subiecti mensura est, nam mensura est, quæ cognoscimus rei quantitatem. Hæc sententia tam futili, & inordinata ratione ostensa attraxit Complutensem Carmelitarum Collegium, quod in hac parte maxime laudat Sanchez.

Sed contra Sanchez (in quo tanquam in Adam omnes mortales, jta Complutenses in eo non semel, ut nos: sed sæpe peccant) sic arguuntur.

Primo, quia ut communi consensu hominum constat, & in omnium more positum est, ac denique experientia patet, semper una res quantam mensurat aliam quantam, ut videre est in ea, quæ Bara, Hispanie vocatur, quæ non mensuratur substantia quantitatis ipsius: sed alia res quantæ, ut pannus, aut sericum velamen, aut bombicinum, & ratio evidens est, quam supra cum Suarez attulimus, quia mensura non est respectu sui: sed respectu alterius, quod notificetur per mensuram: sed si quantitas mensuraret substantiam in qua est, sequeretur quod quantitas se ipsam mensuraret: ergo quantitas non est mensura substantiæ in qua est. Hæc minor sic probatur, quia quantitas in tantum mensurat, & notificat substantiam in quantum tanta, vel tanta est; sed esse tantam vel tantam est idem ac esse quantam formaliter, & reduplicative, & patet, quia in tantum mensuratur substantia in quantum est extensa, & habet partes: atqui per vos, ut est extensa, & habet partes est quantæ: ergo in quantum est quantæ mensura, unde reddet hunc sensum substantia quatenus quantæ est mensuratur: sed semper reduplicatio cadit supra totum indicando formam constitutivam, ut videre est inefficaciori argumento, quo probant adversarii physicam prædeterminationem dicentes causam secundam, ut operans dependet à Deo, ut operante, ubi reduplicatio indicat operationem, & sic sensus illius propositionis est operationem causæ secundæ dependere ab operatione causæ primæ: ergo similiter si substantia, ut quantæ mensuratur à quantitate, quantitas illius substantiæ mensurabitur à se ipsa, nam si ut Sanchez ait supra mensura est quæ cognoscimus quantitatem rei, & substantia secundum quod quantæ est mensuratur à quantitate, quantitas substantiæ mensurabitur à quantitate; unde idem à se ipso mensurabitur quod est falsum, quia mensura est relativa, unde ad aliam. Maior illa sic probatur, mensura est quoddam genus signi notificantis, nam per mensuram uti per signum in notitiam magnitudinis rei notificandæ devenimus: sed signum non est respectu sui, sed respectu alterius, & ad alterum, ut videre est in imagine respectu imaginati, in fumo respectu ignis: ergo mensura non est, ut ipsa nota fiat: sed ut notificetur aliud per illam.

Confirmatur, quia sicut se habet pondus unius rei ad ponderandum, sic se habet quantitas ad mensurandum, & unitas ad numerandum, ideoque dicitur in Scripturas fecit Deus omnia in numero.

E e e 2 mero

mero, pondere, & mensura propter convenientiam proportionem, & similitudinem ponderis, & mensuræ; sed per pondus unius substantiæ, v.g. æris non ponderatur, aut libratur substantia ipsius æris, sed pondus auri, & argenti: ergo similiter per quantitatem non mensuratur substantia ipsius quantitatis, quæ mensura est, sed alia quantitas alterius substantiæ.

22 Deinde, ratio Sanchez frivola est, quia procedit ex quodam falso principio, quia non quodcumque, quod constituit cognoscibile, ut quantum est mensura constituit, ut patet evidenter, nam species impressa, quatenus se habet ex parte obiecti quanti, constituit substantiam quantam in esse cognoscibilem, ut quantæ, & nihilominus non est mensura substantiæ quantæ: ergo similiter non ideo quantitas erit mensura substantiæ, quia aliquo modo constituit illam in esse cognoscibilem in ratione quantæ. Deinde cognoscibilitas ipsa magis proxime constituit substantiam quantam in esse cognoscibilem, & cognitio substantiæ quantæ constituit ipsam in esse cognoscibilem ut quantæ, & nihilominus, nec cognoscibilitas, nec cognitio sunt mensura substantiæ quantæ; imo potius ipsa substantia quanta est mensura cognitionis, quia est obiectum illius: ergo falso dicit Sanchez ideo quantitatem esse mensuram substantiæ quantæ, quia constituit cognoscibilem; imo lux inherens in substantia quanta, quia sensibile proprium est, constituit illam in esse visibilem, & cognoscibilem, & non obstante tali constitutione nullo modo potest dici, lux est mensura: ergo non obstante constitutione substantiæ à quantitate, quantitas nullo modo potest dici esse mensuram substantiæ, quia mensurare, ut ait Divus Thomas, nihil aliud est, quam unius quantitatem ad aliam applicare, ut per eam cognosci, aut notificari possit, sic enim pannum mensuramus vlna, & similia; unde ut supra diximus mensura dicitur quæ apta est, ut per illam alterius quantitas cognoscatur, ideo enim ait Aristoteles 10. *metaph. cap. 2.* mensura est id, quo quantum cognoscimus, & sicut actus mensurandi non est ipsa cognitio, nam potius hæc est effectus mensurationis, ita posse cognosci non est mensurari, nec constitutus, tamen esse cognoscibilis est mensura illius; è contra vero, quia applicatio est mensuratio, & actus mensurandis ita aptitudo, ut applicetur est, quæ constituit mensuram in esse mensuræ; unde quod per se mensuratur solum est quantitas, substantia autem per accidens mensuratur, & hoc non solum verificatur substantia, quæ est subiectum quantitatis mensurantis, ut patet ex supradictis, sed quod magis verificatur etiam respectu substantiæ, quæ subternitur quantitati mensuræ, cum per accidens, & non per se applicetur illi mensura, quibus omnibus funditus labefactatur commentitia sententia Sanchez maxime laudata à Complutensibus.

23 Vergetur, quia duplex datur mensura, alia est per numerationem, seu receptionem unitatum, & hæc convenit unitati, sicut quantitati extensæ esse mensuram: sed unitatis essentia non consistit in ratione mensuræ per repetitionem: ergo nec ratio mensuræ convenit essentialiter quantitati continuæ. Patet consequentia à paritate rationis, præcipue quia in sententia omnium, quantitas est essentia absoluta à respectu transcendentali ad aliud præter subiectum, nam licet quantitas sit mensura proprii subiecti, etiam est mensura alte-

rius quantitatis; unde præter subiectum suum proprium ad alias quantitates debet ordinari, quatenus illarum mensura est: atqui ratio mensuræ consistit in respectu ad aliud in sententia aduersariorum: ergo ratio mensuræ non est de essentia quantitatis, cum illa non dicat ordinem ad alias quantitates: explicatur amplius, quia esset æquale, & inæquale non sunt de essentia quantitatis, sed aliquo modo proprietates, ut inferius explicatur, sed aptitudo ad mensurandum activa, & passiva supponit illa, quia prius est rem esse æqualem in se, vel inæqualem alteri, quam nobis per mensuram manifestari: ergo; & ideo punctum non potest mensurari quantum, quia non est æquale illis: ergo.

Ultimo confirmatur, quia nisi res habeat actua- 24 lem extensionem in ordine ad locum non dicit aptitudinem ad mensurandum, & ideo corpus Christi sacramentaliter reproductum sub speciebus panis, & vini, non est capax ut sit mensura, nec potest mensurare aliud, quia non habet actua- lem extensionem in ordine ad locum, unde ut capax reddatur corpus Christi essendi mensura, debet redigi ad actua- lem extensionem localem: ergo extensio actualis est, aut prior ipsa aptitudine ad mensurandum aut est simul cum illa, atque essentia quantitatis supponit ante ipsam extensionem actua- lem, nam existentia actualis est modus ex natura rei distinctus ab ipsa quantitate, & essentia ipsius, ab ipsaque fluxus; unde posterior minimum natura ipsa essentia quantitatis: ergo aptitudo ad mensurandum de primo ad ultimum est posterior ipsa essentia quantitatis: ergo essentia illius non est ratio mensuræ. Hæc prima consequentia patet, nam si pater meus est prior me, qui sum simul cum fratre meo, & prior alio: ergo pater meus est prior illis duobus, sed essentia quantitatis est prior extensione actuali, quæ est simul, aut prior ratione mensuræ: ergo essentia quantitatis est prior ratione ipsa mensuræ.

Secunda conclusio: Divisibilitas non est essen- 25 tia quantitatis, quia divisibilitas supponit aliud esse in quantitate primum; atqui id quod supponit aliud esse in re non est essentia illius, cum essentia sit primum omnium constitutum rei, ante quod non datur aliud: ergo divisibilitas non est de essentia. Maior est evidens, quia corruptibilitas, seu potentia ut corrumpatur supponit subiectum constitutum, quod sit talis corruptionis capax, sicut v.g. mortalitas hominis, supponit esse hominis, quod habeat talem aptitudinem, ut moriatur, & ratio evidens est, quia sicut se habet actus potentie, ita se habet potentia: atqui corruptio actualis, quæ est actus corruptibilitatis supponit actuale esse, sive existentiam eam corruptio destruat illam; unde corruptio destruit, quod iam existit, & sic talis existentia supponitur ante destructionem, sicut vita ante mortem, quomodo enim homo moreretur si non viveret, antequam adveniret mors: ergo potentia corruptionis, quæ est corruptibilitas, seu supponit essentiam, quæ est quasi capacitas, seu potentia ad existendum, quia sicut se habet actus ad actum, sic potentia ad potentiam v.g. quia ratiocinatio, qui est actus ratiocinatus, supponit ratiocinatum, quæ est actus rationalitatis, ita ratiocinatio, quæ est potentia ratiocinandi, & quia volitio supponit intellectum, voluntas supponit intellectum: sed divisibilitas est corruptibilitas quanti-

Quæst. VI. Vtrum essentia quantitatis, &c. 589

tatis, quæ potest dividi, nam per divisionem quæ est actus divisibilitatis corrumpitur quantitas, quæ dividitur; ergo divisibilitas supponit aliud primum esse in quantitate.

26. Confirmatur, divisibilitas supponit extensionem impenetrabilem; ergo divisibilitas non est primum esse in quanto; ergo non est essentia. Antecedens sic patet, quia divisibilitas est potentia passiva in quanto, quæ respicit potentiam activam simultaneam cum ipsa in agente physico, ut dividat talem quantitatem, nam statim ac datur potentia passiva in passio, simul correspondet potentia activa in agente, ex quo dimanavit axioma illud, omnipotentia passiva correspondet activa; sed potentia activa in agente physico præsupponit extensionem impenetrabilem in quanto, quia agens non potest dividere quantum, nisi esset impenetrabile, & extensum, & ideo hæc est vera causalitas, ideo agens potest dividere subiectum, quia est extensum occupando locum, ideo enim bombardæ dividit parietem, & murum demolitur, & frangit tabulata navis propter occupandum locum ad quem rapitur violento impetu, & in quo reperit repugnantiam in muro seu in pariete, & non est contratio ideo est extensum, quia est divisibile, & potest dividi à subiecto; nam sicut agens etiam est extensum, ita petit extensionem in passio, & ideo potentia passiva non potest videre indivisibile, & inextensum; ergo, & potentia passiva quæ est simul cum activa præsupponit extensionem impenetrabilem in subiecto.

27. Secundo, quia essentia est radix omnium passionum, & attributorum, quæ reperiuntur in re constituta per talem essentiam ut lips, & tonforibus notum est, sed divisibilitas non est radix impenetrabilitatis nec causa illius; sed potius est contra ut probatum manet; ergo divisibilitas non est essentia quantitatis.

28. Tertio probatur hæc conclusio omnibus argumentis, quibus hoc ipsum demonstravimus supra explicantes definitionem Aristotelis quantum est divisibile.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta Adversaria solvuntur.

29. Ad locum Aristotelis Respondeo, dicendo quod ibi loquutus fuit secundum rationem posterioriorem quantitatis, quæ est ratio mensuræ, ex qua colligebat essentiam quantitatis à posteriori.

30. Secundum argumentum futile est, nam etiam quantitas est apta ad feriendum, & verberandum, & nihilominus talis aptitudo non est essentia quantitatis; ergo licet quantitas sit apta ex natura sua ad mensurandum, cum talis aptitudo non sit primum constitutivum, non erit essentia illius.

31. Ad tertium concedo maiorem, & nego minorem, quia alia ratio est essentialis per quam distinguitur quantitas à substantia, & qualitatibus, & distinguitur à cæteris rebus, de qua postea dicitur q. 3. Vtrum essentia, seu effectus primarius, seu formalis quantitatis sit tribuere substantiæ partes.

32. Ad argumentum secundæ sententiæ, & ad locum Philosophi respondeo talem definitionem non esse essentialem, sed descriptivam.

Ad rationem, nego maiorem, ut patet ex dictis.

QVÆSTIO VI.

Vtrum essentia quantitatis sit tribuere partes substantiæ.

SECTIO I.

Sententiæ Adversariorum proponuntur.

PRIMA sententia asserit omnem rationem partium integralium provenire in substantia corporea à quantitate, quæ sublatæ, indivisibilem ex se manere, non quidem positive, ita ut ex se nullas exigat partes ex propria natura, sed indivisibilitatem negative habere, id est quod licet actu ex se non habeat partes, esse tamen aptam ut eas habeat quantitatis accessus, si autem interroges in quo consistat hæc ratio partium respondent in hoc, quod sint actu distinctæ, & unitæ cum ordine; sicut ergo in sigillo aureo duo sunt, & entitas materialis illius, quæ est entitas substantiæ auri, & forma, & figura ipsius, sic similiter in substantia datur & entitas substantiæ & distinctio partium, seu ratio illorum, & hoc secundum inquit hæc sententia causari à quantitate hanc sententiam collatis signis unanimi consensu sequuntur Thomistæ, in ipsamque quasi iureiurando omnes conspiravere. Probatur hoc placitum.

Primo auctoritate Aristotelis 1. Physicæ, text. 15. ubi sic ait: atqui Melissus id quod est infinitum esse asserit, id ergo quod est quantitas est quædam, infinitum enim in quantitate nimirum est, substantia autem infinita, ut qualitas, aut effectus infinitus esse non potest, nisi per accidens si simul, & quanta sint quædam, ex quibus clare colligitur substantiam absque quantitate non habere partes; alias non sola quantitas esse posset infinita per se: sed substantia etiam, quia fundamentum infinitudinis secundum extensionem est pluralitas partium.

Secundo probatur auctoritate Divi Thomæ 1. p. quæst. 50. art. 2. ubi sic ait, materiam autem dividi in partes non convenit nisi secundum quod intelligitur sub quantitate, quæ remota remanet substantia indivisibilis, & 4. contra Gent. cap. 65. in fine, ait, quod remota quantitate substantia omnis indivisibilis est.

Tertio hac ratione (probat Pater Vazquez hanc sententiam, quam asseveranter sequitur tom. 3. in 3. p. disput. 109. c. 3. n. 25.) & his verbis.

Si substantia composita, cæteraque illius accidentia secundum se haberent extensionem partium in se ipsis, ut recentiores dicunt, non esset constituenda alia extensio, in qua essentia quantitatis consisteret media inter extensionem substantiæ, cæterorumque accidentium secundum se, & impenetrabilitatem, seu extensionem, quam vocant actuaalem in ordine ad locum: sed satis esset in illa extensione substantiæ, & accidentium secundum se constituere essentiam quantitatis secundum rem non distinctam à qualibet re, & ei ut passionem addere extensionem illam actuaalem.

Eccc 3 in